

tem, scotacionem legitima et approbata secundum patrie consuetudinem scotai videlicet manu mea cum manibus astancium haste apposita, ex consensu dilecti mariti mei Bōsonis & honesto milite domino Toluone per me et ex parte mea verba quibus scotans vtitur proferente sicut rogatus fuit per me & predictum maritum meum transferendo in ipsam dominum scarensis & successores eius ut tactum est possessionem, proprietatem, dominium & omne ius quod mihi de dictis curiis et earum pertinenciis compete-  
tebat Domino N. canonico scarensi ecclesie recipiente predictas scotacionem & translacionem possessionem ac proprietatis vice et nomine memorati domini episcopi scarensis premissis omnibus renunciaui publice et expresse omni iuri accioni & excepcioni atque omni auxilio legum et iuris canonici uel ciuiliis jta quod tam heredibus meis quam mihi omnis facultas sublata est predictam lagacionem vel premissorum aliquod, villo vmquam tempore... accione alicuius reuocare. sepe dicto vero domino scarensi et cuilibet eius mandatum habenti potestatem concesseram me sublata de medio statim auctoritate propria & absque principis & iudicis cuiuslibet requisicione et absque vlla iuris proprii lesione, dicta bona & curias intrandi occupandi possidendi vendendi obligandi & quocumque modo voluerit ac poterit ordinandi. In omnium autem premissorum testimonium testes vocaui & ad hoc specialiter rogauit infrascriptos quos & sigilla sua rogauit apponere huic scripto videlicet dominos. Tholuonem pætærs sun. Beronem canonicum Scarensis ecclesie. Asmundum rectorem ecclesie Sundræsbyærgh & prepositum qualine. Nicolaum rectorem de Sōne. Sýmeonem rectorem ecclesie Kýthem. Thubbonem sacerdotem, et dilectum maritum meum Bōsonem. Juarum ødgerthær sun. Arnuidum de Munislundum. allonem & frōstanum vicinos meos in Kÿætílsthorp. Actum Kÿætílsthorp. anno domini. M°.CC°.XC°.I°.VI die mensis aprilis.

Et ego Ragnerius rector ecclesie ørløso parochialis sacerdos & confessor ipsius helene supradictis rogatus interfui et sicut vidi & audiui juratus fideliter hec conscripsi et in testem me subscribo et sigillum meum appono.

Sigillen: 1—4, 6, 7 bortfallne, remsorna qvar; af 5 ett stycke qvar.

1039.

1291. d. 7 Apr.

Warnhem.

Caniken i Linköping STENARUS testamentariska anordning om sin qvarlätenskap.

A. 4.

In nomine domini amen. Ego STENARUS canonicus lincopensis, licet corpore debilis mente tamen sanus, testamentum meum de bonis que michi  
racio-

ratione laboris mei ex sigillo regio prouenerant, condo & ordino in hunc modum. In primis lego Ecclesie lincopensi in qua etiam eligo sepulturam totum predium quod emi in villa que dicitur lind. scilicet. pro centum Marchis den. Jtem Monachis de warnem. vestes meas sollempnes. scilicet tunicam. surcocium. & sløfam. & .VI. Marchas den. Jtem habeo aschaby in claustrò dominarum depositas .CC. Marchas den. de quibus lego ad terram sanctam pro redemcione crucis mee. .C. Marchas. denar. Jtem filio sororis mee, .XL. Marchas den. de pecunia. supradicta Jtem claustrò dominarum aschaby .VI. Marchas. Jtem ffratribus Minoribus Lincopie .III. Marchas de eadem pecunia. Relique .XLI. Marche ordinentur pro anima mea & exequijs per dominum Lincopensem. Jtem filiabus sororis mee lego predium quod emi prope ekby. pro .XX. Marchis den. & aliud predium quod emi ibidem pro .XVIII. Marchis cum dimidia. Jtem habeo penes me .XL. Marchas den. que ordinentur ad hoc ut corpus meum ad sepulturam deducatur humane, per aliquem quem illustris domina Regina swecie helwighis ad hoc duxerit ordinandum. Huius mee voluntatis pro magna parte mecum conscius fuit dominus sigmundus boosun. sed hec omnia plene expressi uia uoce coram ffratre Jarpulpho generali confessore meo. ordinis ffratrum Minorum. cuius etiam sigillum una cum sigillo meo proprio presentibus est appensum. actum. Warnem. anno domini. M<sup>o</sup>.CC<sup>o</sup>.XC.I. sabbato proximo ante dominicam passionis. Jtem assigno ecclesie lincopensi duo vasa argentea que penes me habeo, pro vno calice facièdo. actum. vbi & quando. sicut supra.

Sigillen: 1, 2 Andeliga, skadade.

1040.

1291. d. 9 April.

Upsala.

Decan. i Upsala Nils bref rörande gifven fasta på ett jordabyte med Lars Nilson af Gismusta.

A. 6. 2. 2.

Omnibus presentes litteras inspecturis NICOLAUS decanus ecclesie vpsalensis, salutem in domino sempiternam. Constare volo per presentes me nomine ecclesie vpsalensis tamquam procuratorem & syndicum ipsius ecclesie, Cum laurencio Nicolai quondam filio de gismustum & vxore sua permutationem quandam fecisse prediorum habui enim a predicto laurencio & sua vxore sex oras terre in seby. & quatuor solidos terre in vilingi, que quidem predia me nomine ecclesie possidere ac manu tenere per presentes recognosco, pro predictis predijs dicto laurencio & vxore sua restitui seu reassignauj, decem oras terre cum vno solido terre in villa thigbili parochia vengium

Sv. Diplom. II.

15